Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5735
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">

Ille sacerdos amotus com-
passa est ei mater misericordie
nocte quadam herderado
dictis matutinis in ecclesia
sancti Gereonis soli apparens
dumque allocuta est dicens
Ut quid repulisti capel-
lanum meum de vicaria
tua avaritia te ad hoc
instigante Si non celerius
eum restitueris atque offi-
cio a me privaberis Ille
ad pedes eius corruens
et veniam postulans
Deinde omnem satisfactionem
promisit Mox igitur mane
directo nuncio amotum re-
stituit mandans sicut supra
dictum est de sancto Thoma
ut missam de sancta Maria
quacumque die vellet cele-
braret quandocumque pro suis pec-
catis interpellaret Vio-
lencia Bonum est tali domine
servire que sic sibi servi-
entibus subvenit misericor-
diter et occurrit Monachus
Non solum eos a quibus
affliguntur monet et corri-
pit verum etiam que illorum
sunt potenter defendit
Tempore Exemplum
illo quo Walduinus

comes Flandrie cum cruce
signatis Constantinopolim
expugnavit Dominus papa
Innocentius ordini nostro
literis suis mandavit ut
quadragesimam partem omnium
rerum suarum mobilium in sub-
sidium terre sancte transmit-
terent Ordo vero privile-
giis sibi ab antecessoribus
eius indultis innitens
Ne libertatem concessam ver-
tere videretur in servitutem
tum propter exactionem subia-
cere non acquievit Unde
Innocentius papa fremens
tantum ordini nostro indig-
nabatur ut dignitatibus
secularibus indulgere propo-
neret quatinus possessiones
ordinis sibi usurparent
In proximo vero generali ca-
pitulo Abbates qui con-
fluxerant spem suam in
beata dei genitrice que
ordinis patrona est et
advocata ponentes suis
sententiam male conceptam
eius precibus facile posse
revocari. Speciales pro
eadem necessitate usque ad se-
quentes capitulum ordines